



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sect. II. De nomine Spei, & aliis quibusdam ad hanc virtutem spectantibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

Quanam
confenda
sit vera
Spei.

scelera sceleribus addendo, *Dicunt in bonis dies suos, & in momento ad infernum descendunt.* Ea ergo vera Spes habenda, quæ quotidianâ divinæ bonitatis ac beneficiorum meditatione accenditur, puritatēque conscientiæ, ac bonis operibus roboratur, juxta illud Psalm. 36. v. 3. *Spera in Domino, & fac bonitatem;* item 1. Joannis 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum,* &c. quoniam mandata ejus custodimus; ac demum invictâ in rebus adversis patientiâ comprobatur: hæc enim est quæ non confundit, sed, ut dixi, summum animo robur addit, & firmitatem.

IV.
Quatuor
circa virtu-
tem Spei in-
quirenda.

Quatuor autem de hac virtute quæri possunt, ex quorum cognitione integra illius notitia confurgit: quænam scilicet sit, quæ sint adjuncta illius, an sit de ea aliquod præceptum, ac demum quæ habeat contraria, quare his singulis singulæ respondebunt Disputationes, & hoc pacto materiam quam possum brevissimè expediã.

SECTIO SECUNDA.

De nomine Spei, & aliis quibusdam ad hanc virtutem spectantibus.

I.
Spei ali-
quando ob-
jectivè su-
mitur, ali-
quando sub-
jectivè.

IN primis notandum, non idem semper Spei nomine importari, aliquando enim quasi objectivè sumitur, pro objecto scilicet Spei, seu pro re quam speramus, sic Apostolus ad Coloss. cap. 1. v. 5. *Propter spem, inquit, qua reposita est vobis in calis,* &c. & ad Tit. c. 2. v. 13. *Expectantes beatam spem;* ad Rom. 8. v. 24. *Spei qua videtur non est spes.* Secundo sumitur Spei quasi subjectivè pro eo in quo, seu à quo speramus: sic Christus dicitur *Spei nostra,* & Psalm. 21. *Tu es spes mea ab uberibus matris mee.* Tertio denique sumitur pro actu vel habitu sperandi, idque non uno modo. Primo enim generaliter sumi solet & improprie, pro quacumque futuri eventus sive boni sive mali expectatione, vel ut alii explicant, pro estimatione, quo modo Cicero lib. 1. ad Atticum *Spem malorum* dixit: Virgilius etiam 1. *Æneid.* *At sperate Deos memores sancti atque nefandi.* Lib. item 4. *Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.* Quam significationem esse impropriam docet S. Augustinus in *Enchirid.* cap. 8. ex auctoritate Grammaticorum, quorum aliqui exinde Virgilium ut improprie loquentem fugillant, & pro *sperare*, timere reponendum afferunt, cum objectum Spei sit bonum, sicut malum timoris. Usitatam tamen esse locutionem hanc apud probatos auctores docent alii, nec vitio vertendum Virgilio, quod eam usurpaverit.

Spei inter-
dum idem
est ac rei
futura ex-
pectatio.

Quid per
sperare pro-
bati subinde
auctores in-
telligant.

II.
Propria vo-
cu Spei ac-
ceptio.

Secundo itaque sumitur Spei proprie pro expectatione futuri boni: Sic Cic. 2. *Tuscul.* quæstio- num à timore eam distinguit, & libro 6. *epist. fam.* *Semper, inquit, magis adversos rerum eventus metui- mus, quam speramus secundos:* idemque confirmat D. Augustinus supra auctoritate Lucani, dum ait: *Luceat sperare timenti;* distinguit etiam Horatius dum canit: *Sperat infestis, metuit secundis alteram sortem,* &c.

III.

Subdividunt aliqui secundam hanc signifi- cationem, licet meo iudicio potius sint species di-

verse veræ Spei, quam variæ nominis signifi- cationes, cum propria significatio & ratio generica Spei illis verè conveniat; ut quando dicunt signifi- care aliquando tendentiam in bonum possibile, quo modo ad appetitum sensitivum spectat, & est passio quædam, brutis etiam communis, de qua D. Thom. 1. 2. quæst. 25. art. 3. & quæst. 40. ubi Vasq. Val. d. 3. quæst. 1. part. 1. Salas, tract. 9. disp. 3. sect. 5. Lorca d. 48. Azor, tom. 1. lib. 1. c. 23. q. 2. quam passionem moderatur magnanimitas, ut ait D. Thom. hic, art. 5. ad 4. & infra q. 125. art. 2. ad 3. aliquando verò significat tendentiam in bonum intelligibile, & pertinet ad appetitum rationalem, voluntatem scilicet. Spei huic ac præcedenti conditiones assignat D. Thom. q. 40. quas etiam enumerat Aristoteles 2. *Ethic.* cap. 5. Quod scilicet sit de bono, futuro, possibili, arduo.

Alia Spei à
quibusdam
v. a dita di-
visio.

Quam Spem
moderatur
magnan-
imitas.

IV.
Declinantur
quatuor
conditiones
objecti Spei;
proximè af-
signata.

Et quidem quoad tres priores, certè omnino videntur: nam primò, quòd sit de bono, videtur manifestum, cum Spei sit actus prosecutionis appetitus, quæ non est nisi de bono, saltem apprehenso, ut fuga de malo. Secundo quòd bonum etiam debeat esse futurum, id est à nobis necdum obtentum; constat, cum de habito sit potius quies & gaudium; unde Aristoteles supra dixit Spem generari ex imaginatione rerum salutarium, quæ propè sunt, & ideo dicitur Spei ver- sari circa bonum absens, quod non ita intelligen- dem est ut absentia pertineat ad objectum Spei; absentia enim boni potius habet rationem mali & generat tristitiam, & ideo potius est objectum fugæ, quam prosecutionis; sed est intelligendum quòd cum Spei necessariò sit circa bonum non- dum obtentum, versari non possit circa bonum præsens, sed circa id quòd est absens; id est, cir- ca tale objectum cui absentia sit necessariò con- juncta. Tertia conditio (si tamen sit à priori di- stincta) quòd debeat esse possibile, saltem in ap- prehensione, quia cognitâ impossibilitate boni cessat potius conatus obtinendi, & succedit de- speratio.

Absentia rei
non ingredi-
tur objectum
actus Spei.

V.
Quo pacto
objectum
Spei debeat
esse arduum

Tria circa
hanc ardui-
tatem in-
quirenda.

Quarta conditio, addi solet, quòd sit arduum, & in hoc differt Spei à desiderio, quòd illud non dicat difficultatem in bono concupito, nec cona- tum animi ad illam vincendam. Sed quamvis ut dicebam, priores conditiones necessariae sint, & fortè se teneant ex parte objecti formalis talis actus, hæc tamen non adeo est certa: imo tria de ea in controversiam vocari solent; primum est, an & quomodo Spei à desiderio distinguatur; secundum, in quo sita sit hæc arduitas; tertium denique, an pertineat ad rationem objecti for- malis, vel solum ut conditio, sicut de absentia diximus, de quibus tamen commodius infra cum de objecto Spei, ut est virtus Theologica.

VI.
Dari hanc
Spei virtu-
tem est cer-
tissimum.

Dari verò hanc Spem manifestius est, quam ut probatione indigeat, ex innumeris Scripturæ locis, quibus hæc virtus nobis apprime com- mendatur: sic ad Rom. 8. v. 25. *Si quod non vidi- mus, speramus, per patientiam expectamus.* primæ Petri c. 1. v. 3. *Regeneravit nos in spem vivam,* &c. & Concilium Moguntinum can. 2. *Spei,* inquit, *in Deum firmiter à cunctis Christianis retinenda est:* citatque illud Psalm. 61. vers. 9. *Sperate in eo om- nis congregatio populi;* idemque non paucis aliis Scripturæ locis habetur.